UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitivm Perfectionis, Et Virtvtvm Christianarvm

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

Cap. I. Quanti momenti ac neceßitatis sit, sincere nos cum superioribus nostris agere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40105

Visual Library

TRACTATVS SEPTIMVS.

Quam ſe quiſq; ſuperioribus & Patribus ſpiritualibus clare & liquido aperire debeat, integram & planam illis conſcientiæ rationem reddendo.

CAPVT I.

Quanti momenti ac neceſſitatis ſit, ſincere nos cum ſuperioribus noſtris agere.

Lib. 4. de inſtit. renunct. c. 9. & collat. 2. Abbat. Moyſis c. 10

PATRIBVS illis antiquis id Caſſianus ſcribit ſolenne & vſitatum fuiſſe, vt quotquot Dei ſe ſeruitio primum manciparent, eos, velut primam Alphabeti litteram, docerent omnes tentationes & prauas cogitationes, & quidquid in anima ſua contingeret, maioribus ac Magiſtris ſuis ſtatim declarare.

Manifeſtatio ſui.

Et erat id ceu primum doctrinæ ſpiritualis quam tradebant, principium & rudimenta. Vnde S. Antonius dicebat: *Si poteſt fieri, quot paſſus ambulat Monachus, vel quot calices aquæ bibit in cella ſua, habet declarare ſenioribus vt non delinquat in ipſis.*

In vitis Patrum p. 2. §. 104.

Vnde ſcribit Ioannes Climacus multos ſe quodam in Monaſterio, ſanctitatis nomine illuſtri, vidiſſe Monachos, qui de zona libellum geſtarent, in quem omnes ſuas quotidie cogitationes ſcripto referrẽt, vt illarum deinde archimandritæ ſuo rationem darent. Atque hoc eos ſuperioris ſui iuſſu facere ſolitos.

C. 4. de obedient.

Idem documẽtum ſignanter proponunt S. Baſilius, S. Hieronymus, Ambroſius, & Bernardus.

In conſtit. Monaſt. & aliis in locis in regul. Monaſt. c. 34.

Lib. 3. offic. c. 16. De ord. vitæ & morum inſtit. c. 4.

Quod autem communis Sanctorum Patrum doctrina eſt, & primum apud priſcos illos eremicolas principium vitæ ſpiritualis erat, id nobis Beatus noſter Pater, velut permagni momenti rem, & inprimis neceſſariam verbis grauiſſimis, quæ in Conſtitutionibus legere eſt inculcat. Re, inquit, *in Domino conſiderata, viſum eſt nobis in diuinæ maieſtatis conſpectu mirum in modum conferre, vt ſuperioribus ſubditi omnino perſpecti ſint.*

Exam. §. 34.

Non ſolet autem B. P. aliis in rebus, etſi maximi eæ momenti ſint, tali modo loqui. Satis quoque illi non eſt nude hoc modo rem hanc propoſuiſſe, ſed eam etiam rationibus efficaciſſimis probare connititur. Et prima quidẽ cur neceſſe ſit & magni referat, manifeſte & candide ſe ſuperioribus declarare, ratio eſt, vt hoc pacto ſubditos hi ſuos melius dirigere & gubernare queant. Superior quippe tenetur te regere & conducere; hoc namq; eius officium eſt, hoc eſt Rectorem, hoc ſuperiorem eſſe. Iam ſi te perſpectum non habeat, ſi te ei non aperias, certum eſt id eum, prout oportet, non poſſe facere. Ait enim Sapiens: *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur.* Si ſuam æger Medico plagam & morbum non detegit, ab eo curari non poterit.

Prou. 28. 13.

Etenim vt D. Hieronymus ſcribit, *Quod ignorat medicina, non ſanat.* Neceſſe eſt tuam medico inualetudinem declares, ſi eum tibi medicinam facere velis, quin imo, ſi multis languoribus & morbis ſimul tenearis, eos ad vnum omnes reueles oportet: Si namque vel vnum celes, tale forte tibi Medicus medicamentum præſcribet, magis vt tibi noceat quoad id quod tacuiſti, quam cõferat quoad id quod declaraſti: q; enim ſalutare eſt Hepati, noxium eſt ſpleni.

In illud Eccleſ. 10. 11. Si mordeat ſerpens in ſilentio.

Vnde te neceſſe eſt omnia mala tua declarare, quo ita ſuum Medicus medicamentũ temperet in vno, vt in altero minime noceat.

Nihil celatur hic.

Pari ergo te modo, & ob eandem rationem, medico ſpirituali, qui ipſe ſuperior eſt, omnes tuas indiſpoſitiones & languores aperire oportet. Cũ enim Medicus ægrum bene perſpectum habet, omneſque eius indiſpoſitiones, lan-

languores & naturalem complexionem penitius nouit, eum multo curabit facilius & citius, ſtatim namq; ipſam morbi radicē agnoſcit, videt quis humor peccaminoſus prædominetur, quid illi prodeſſe, quid obeſſe queat, itaq; haud difficulter conueniens & congruum illi remedium applicat. Hac de cauſa ſolent principes & magnates ſe. ū medicos ducere, qui quocunq; pergunt, ſe ſequantur, & comedentibus quotidie aſſiſtant. Nō vt is ad ſingula ipſis momenta dicat, ne comedas hoc, ne bibas tam multum (ſic namq; graues ijs eſſent & moleſtiam exhiberent) ſed vt, dum illos comedentes vident, eorumq; quotidiana exercitia, animi propenſionem, & quæ ipſis obeſſe vel prodeſſe ſolent, aſſiduo vſu obſeruant, eorum complexionem & naturam intimius perſpiciant, ac poſtea, cum in morbum aliquem eos incidere continget, melius eos curare & medicamenta adhibere norint. Hunc ergo morem nos S. P. Noſter ſeruare & medicos ſemper ad manum habere vult, qui omni nobiſcum loco verſentur, qui noſtram cōplexionem, naturæ inclinationem, debilitatē vel robur intime & penitus perſpectam habeant, quo melius idcirco nos curare & gubernare norint. Societatis noſtræ regimen ſpirituale eſt & interius, nec ſupplicijs & caſtigationibus vllis continetur, itaque vt plurimum per iuridicam informationum, accuſationū, ac denuntiationum viam non procedit, animę dumtaxat tuę remedium atque vtilitatem ſpectat, vnde tu ipſe te Superiori detegas ac manifeſtes oportet, velut Medico, velut Patri, qui Dei vices occupat, Quod niſi facias, præſentiſſimo animā tuam expones periculo, Deūque tentabis, vtpote qui hominum te adminiculo regere & gubernare vult, bene autem hi te regere nequeunt, niſi te ipſis patefacias, quia ipſi te, quiſſis, perſpectum non habent. Aliud ergo ſi ſpectes, Deum tentas, quandoquidē vis id, quod moraliter, loquendo, fieri plane non poteſt. Secunda ratio, quæ priorem etiam declarat, eſt quia quo ſuperioribus omnia ſubditorum interiora magis & euidentius patent, eo his melius, accuratius & maiori cum amore poterunt ſuccurrere, & animas illorum à varijs tueri inconuenientibus & periculis, in quæ forte prolabi poſſent, ſi huic vel illi loco, functioni, officio eos applicarent, quod eorum tentationes & prauas propenſiones, quantaque eorum ſit fortitudo, robur, & virtus ignorant. Præſertim quoniam in Societate ex vi profeſſionis & inſtituti noſtri ſemper nos oportet ad quocumque terrarum & locorum quotieſcunque vel à ſummo Pontifice, vel ſuperioribus noſtris immediatis id nobis iniungetur, diſcurrendum paratos eſſe. Vt vero in id genus miſſionibus non erretur, hunc ſcilicet mittendo, non illum, & hos ad hoc negotium, alios ad aliud applicando, *non ſolum valde, ſed & ſummopere refert*, (inquit S. Pater Noſter) vt integram inclinationum & tentationum ſubditorum ſuorum & ad quos defectus & peccata natura ſint vel fuerint propenſiores, notitiam ſuperior habeat, hoc pacto namque melius eos regere & dirigere poterit, nemini quid, quod vires excedat iniungēdo, neu maioribus periculis & laboribus exponendo, quam commode ferre quiſque valeat. Quod autem Societatis regimen ita facile, ſuaue & recte procedens ſit inter alias cauſas nō vltima eſt iſthæc, quā Superiores vniuſcuiuſq; ſuorum ſubditorum habent [perſpicatia & notitia, qua ſingulorum talenta, dotes, habilitates tū bonas] tum malas], & ad quid quiſq; aptus, vel ineptus ſit, intime noue. ſit: hoc etenim modo ſciunt quid de vnoquoq; in particulari ſtatuendum ſit, quis cui rei applicandus. Ita fiet vt nihil tibi præcepturi ſint, quod vires, tum ſpirituales, tū corporales excedat, neq; vlli te ſint periculo expoſituri, ſed vnicuiq; iuxta vires & talentum, & vt in Euangelio dicitur, *Vnicuiq; ſecūdum propriam virtutē*, officia diſtributuri. Tertio, permagni hoc, inquit S. N. P. refert, vt ſic melius Superior ordinare & prouider poſſit id, quod vniuerſo Societatis corpori conſentaneum

Manifeſtandi negligentia quam periculoſa.

Superiores debent ſuorum vires noſſe & propenſiones.

Mat. 25. 15

Neceſſaria ad bonum regimen manifeſtatio.

neum & conueniens eſt, vtpote cuius bonum & honorẽ vti & tui vnius particulatim, ipſe recipere & curare tenetur. Cum ergo ſuperiori te declarabis, eique integram plenamque animæ tuæ rationem reddes, tunc ipſe de honorẽ tuo per omnia ſolicitus, ac ſine vlla tua nota & infamia, vniuerſale totius corporis Societatis bonum reſpicere & ſpectare poteſt, ſi autem bene te integreque non patefacias, fortaſſe honorem ſimul & animam tuam necnon bonum Religionis totius nomen & honorem, qui a tuo vnius dependet, non paruo diſcrimini expones.

Non erit abs re, ſi hoc loco, velut in tranſitu conſideremus ac ponderemus, quomodo, quæ in rem & profectũ proprium nobis Societas aſſignat media etiã ſint fini illius conformia & proportionata. Si quidem inſtitutum noſtrum eſſet in cellis & ſolitudine manere, Chorũ tãtum frequentare & refectorium, tanta ſane claritate, tantæ conſcientiæ redditione opus non foret, at cum Societatis ſubditi tam diuerſimode applicari apta-ri & vſurpari, tam perículoſas ſublimeſque functiones obire per mundum quocunque locorum inter fideles & infideles, & ſubinde etiam ſoli, & per longum tempus, mitti debeant: Superiorem ante probe noſſe oportet, quid quiſque poſſit, ne cum ipſum, tum Societatem vniuerſam in præſens periculum conijciat. Quin & ſubdito ipſi magnopere conducit, ſincere ſe candideque ſuperiori reuelare, vt nimirum ſic conſcientiam ſuam exoneret ac quietam ac ſecuram reddit: Si enim id non faciat, omnia iſthæc pericula in illius caput recident. Si enim ſuam ipſe in Spiritu debilitatem & exiguas vires Præpoſito declaraſſet, occaſionibus, tentationibus & periculis his ab eo expoſitus non fuiſſet.

Varietas munerum poſcit hanc manifeſtationem.

In moral. §. 12. tō. 1.

Elegans ſimile.

Egregio ſimili & exemplo rem hanc demonſtrat Plutarchus: Pauperes, inquit, dum diuites præſtoli e videri volunt, magis inde depauperantur, vt tandem etiam nihil penitus rerum habeant; pares namque opulentiorib. ſumptus & expenſas facere volunt id eſt maiores quam arcula ſuſtineat: pari modo ſi Religioſus quis à virtute inops, & humilitate deſtitutus, ſuam tegere indigentiam, diues apparere & videri habere vult, quod non habet, magis reuera depauperabitur, & tandem fortaſſe ſibi ipſi perniciem acceſſet: quia tractabitur vt diues quis, & fructibus collectis inſtructus, nam tentationibus & periculis, ad quæ pares opes, facultates & virtutes non habet exponetur, omniaque in illius caput mala conuoluentur, eo quod ſeipſe minime reuelarit. Vnde, vel ob ſolam noſtri ſecuritatem ipſorum & ſatisfactionem, vt item conſcientiam noſtram exoneremus, nullum ſcrupulum ſentiamus, & hæc in nos pericula non incurrant, hanc noſtri ipſorum nos ſuperiori rationem oporteret dare: tum vero vt Deum in nobis adiuuandis, atque ab omni periculo & peccandi occaſione tutis conſeruandis benigniorem & fauentiorem experiamus.

Quam vero ille Religioſus qui ſe totum Superiori ſuo manifeſtauit, omneſque ſuas miſerias & imperfectiones ſincere patefecit, in animo ſecurus & quietus eſt, cum poſtea ad miſſionem aliquã ablegatur, vel huic aut illi officio applicatur quam is Deo confidit ſe ab eo omni in re adiuuandum, & in quibuslibet peccandi occaſionibus & periculis quæ occurrent, à probro & lapſu eripiẽdum; Dicet enim, Ego me Domine huic officio non applicui, functioni huic vltro me non ingeſſi, imo vero meam quoad inſufficientiam, & exiguas ſpiritus mei vires candide propoſui, tu me huc promouiſti, tu id iniunxiſti; Supplebis ergo quod mihi deeſt. Qua item fiducia repetit illud S. Auguſtini, *Domine da quod iubes, & iube quod vis?* Putat quippe Deum teneri, ſibi concedere id quod à ſe fieri mandat.

Fructus eiuſdẽ quies & ſecuritas.

lib. 10. confeſ. c. 29.

Alter autem, qui animum ſuum minime declarauit, at fortaſſe, vt huic fun-

ctioni

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctioni & operi admoueretur, vel ab alio quod ipſi placebat non amoueretur, aliquã tentationem, paſſionem, imperfectionem, vel debilitatem ſuam patefacere noluit, quam habere conſolationem poteſt? Qui enim huiuſmodi eſt, hunc nec mittit Deus, nec obedientia huic muneri admouet: nam iuxta philoſophos, *ignorantia cauſat inuoluntarium*. Quocirca non eſt hęc proprie voluntas ſuperioris, ſed ipſe propria voluntate ſe huc ingerit & intrudit: & intruſus eſt, non vocatus non miſſus: De quibus non incommode dici poteſt illud Dei ore Ieremiæ pronuntiatum. *Non mittebam prophetas, & ipſi currebant, non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant*. Qui tales ſunt, quid mirum ſi impingant, ſi quæ agunt, non bene illis ſuccedat? Vnde & merito timere, & perpetuo in angore & triſtitia viuere poſſunt. Notent porro velim hi, minime ſe conſcientiæ ſuæ & debito ſatisfacturos, quod ſuperiorem ante rogent, ne ſe tali vel tali officio applicet vel huic periculo labendi exponat, in genere videlicet dicendo, ſufficientes ad hoc vires ac virtutem in ſe non ſentire: eſt enim cauſa magis in particulari, vti poſtea dicemus, exponenda, alioqui enim Superior quidquid dici poteſt humilitati attribuit, atque adeo qui ſanctiores ſunt, plerumque id genus plura ſui humiliandorum cauſa allegare ſolent.

Ier. 23. 21.

Damnum neglecta, periculoſa cordis deſolatio.

Cap. vlt.

Ob has ergo rationes S. P. N. tantopere id nobis commendat, & identidem ac repetitis vicibus in Conſtitutionibus, velut permagni momenti rem, ob communetotius Societatis bonum, inculcat. Tam porro hoc ipſe ſenſu plenus eſt, vt, in quarta Conſtitutionum parte vbi quid a quoquam clauſum ſeruari vetat, non ianuam, non arcam addat, *ne quidem propriam conſcientiam*; eſto id eo loco ad Propoſitum facere non videtur. Tanti ſcilicet hoc facit, tanti id apud eum valoris eſt. Idem facit & in ſexta parte cum ait, *Nihil ex externis vel internis eos* (ſuperiores) *celent*.

Valde eam verſit S. P. N. Ignat.

4. p. Conſt. c. 10. § 5.

6. p. Conſt. c. 1. § 2.

Adeo hoc in Societate neceſſarium eſſe credit, vt (ſicut loquitur Apoſtolus) *oportune & importune*, viſus veniat, non veniat, & omni tempore illius nos identidem commonefaciat & in mentem reuocet. Et quo loco in quinta congregatione generali diſquiritur, ecquæ ſubſtantialia & eſſentialia inſtituti noſtri vt præcepta, dicitur, ea ipſa eſſe, quæ in inſtituti noſtri formula ac Regula Iulio III. Pontifici fuere propoſita, & tum ab eo, tum ab eius ſucceſſoribus approbata & confirmata: nec non omnia illa, ſine quibus priora vel non conſiſtere, vel nõ niſi ægre admodum conſeruari queunt, quorum vnum eſſe dicebatur ipſa conſcientiæ apud ſuperiorem retectio. Adeo vt hæc Societati ita ſubſtantialis ſit, vt ſine ea conſeruari ipſa non poſſit. Quo vno pronuntiato paucis comprehendimus, quidquid demum dici queat. Quãdiu itaque ſancta hæc ad ſuperiores & Patres ſpirituales in omnibus rebus cõfugiendi, animæque penitus illis patefaciendæ, conſuetudo etiam in aliis Religionibus viguit, notarunt & obſeruarunt hiſtorici nonnulli, tam diu eas in primo obſeruantiæ vigore integras perſtitiſſe; econtra experientia teſte conſtat, hoc communiter cauſam eſſe ſolere cur quis in Religione pereat & peſſum eat, quod videlicet paulatim intepeſcere, paſſionem aliquam & malam inclinationem ſequi, in exercitiis ſpiritualibus ſegneſcere & modo vnum mox alium defectum admittere incipiat: ipſe vero imperfectionem ſuam obtegere ſatagat, ſuæque infirmitatis rationem non reddat, vnde hoc pacto plaga paulatim vitiata putreſcit, ingraueſcit, incrudeſcit, & quod initio paruum malum erat, mox ita adaugetur, vt poſtea fiat prorſus inſanabile & immedicabile, ac tandem totum ædificium corruat, quia iam à longo tempore rimas agere ac fatiſcere cœpit, nullumque ei remedium adhibitum eſt.

2. Tim. 4. 2.

Can. 17.

Subſtãtiale medium eſt conſeruandæ Societatis manifeſtatio.

Refert Bern. Roſſignol. li. 1. de diſcipl. Chriſt. perfect. c. 1.

Neglecta la[illegible] defecit multas familias.

Tacitum vulnus abit in inſanabile.

Quod etiam his verbis bene notauit S. Dorotheus: *Dicunt aliqui ideo, cecidit hic,*

Serm. ſeu doctrinat.

hic, hac de cauſa Monaſterio egreſſus eſt ille: quippe morbus eum exire compulit vel parentes: at ego dico nec hoc nec illud in cauſa fuiſſe, ſed quod ipſe iam inde, initio ſe non detexit, & eorum quæ in anima ſua contingebant, rationem ſuperiori dare noluit.

Vita cauſa apoſtaſia.

CAPVT II.

Quanta quiete & conſolatione mentis fruatur, qui ſuperiori ac Patri ſuo ſpirituali totum ſe reuelat, & quanta hac in re bona & commoda includantur.

Lib. 1. offic. c. 6. *Lib. de amic. c. 5.* *In reg. monach. c. 34* *De ord. vita & morum inſtit.*

SAncti Patres & Eccleſiæ Doctores, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, & Bernardus docent, vnum è maximis, quæ hac in vita obtingere homini ſolatia poſſunt, eſſe, quod fidelem nactus ſit amicum, in quo conquieſcere & cui fidere queat, totum animum ſuum & cuncta cordis arcana illi detegendo, iuxta illud ſapientis. *Amicus fidelis medicamentum vitæ.* Nulla inquit S. Auguſtinus eſt medicina ad curandas plagas tam efficax, quam talis amicus, qui te in laboribus conſolari, in dubiis conſulere, in proſperitatibus tecum gaudere & congratulari, in aduerſis denique compati queat. *Qui autem inuenit illum* (talem amicum) *inuenit theſaurum.* Quid dico theſaurum? *Nam amico fideli nulla eſt comparatio: non eſt digna ponderatio auri & argenti, contra bonitatem fidei illius.* Hanc porro gratiam Dominus tibi in Societate contulit: talem namque in ea amicum (ſuperiorem ſcilicet) nactus es, ille enim tuus eſt Pater ſpiritualis, tuus Magiſter, tuus Medicus, mater & frater tuus: ac viſcera & cor erga te habet pluſquam maternum, reſque tuas tam quam proprias, & pluſquam proprias curabit. Vide ergo, vt tali amico debite commodeque vtaris, teque magna cum fiducia ei aperias.

Amicus bonus vita medicina. *Eccl 6.16.* *Eccl. 6.14.* *Eccl. 6.15.*

Si videris inquit eo quo ante loco ſapiens, *ſenſatum* & amicum talem, *euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus*, aſſidue eum de rebus tuis conſulendo, tuaque illi communicando, quia verum in illo ſolatium, conſilium & remedium omnibus in rebus, in quibus neceſſe erit inuenies. Quemadmodum enim infirmo ſolamen & alleuiamentum eſt, ei ſe aperire medico, à quo ſanitati reddendus eſt, ita afflicto mœrenti & deſolato magnam conſolationem & recreationem adfert, pœnas, moleſtias & afflictiones ſuas patefacere ei, qui conſolationem & opem adferre poteſt.

Eccl. 6.36. *Solatium ex manifeſtatione incredibile.*

Inter alia, quæ triſtitiæ pellendæ, & cor afflictum exhilarandi media Philoſophi morales aſſignant, eſt afflictiones ſuas alteri referre & patefacere.

Et adfert hoc D. Thomas, vbi de triſtitia tractat, hancque huius rei dat rationem. Nam quando quis inquit, mala & aduerſa ſua ſolus apud ſe tacendo cōcoquere & ferre vult, maior eſt ad ea mētis attentio, & cor magis eodem fertur; vnde etiam hominem magis affligunt; at quando ea aliis communicat, aliquatenus inde mentem diuertit, attentio namque tunc diſtrahitur ac dilatatur, & animus nonnihil reſpirat.

2. q. 38. a. 2. *Ex eadem dolorū leuimen.*

Ita id fieri communiter per experientiam videmus, & ita vulgo dicunt homines, Ignoſcas, quæſo hæc tibi grauamina mea narranti, quia aliquam ex hac narratione conſolationem videor accipere, S. Abbas Nilus Ioannis Chryſoſtomi olim diſcipulus, id communiter à Patribus, illis antiquis hac in re ſolitum dari remedium ſcribit. Quod & ipſi ſcita quadam ſimilitudine declarabant, vti nubes cum denſæ & obſcuræ ſunt, cum aquis turgent, at poſtquam eas effuderunt, à ſe reiecerunt & exonerarunt, clareſcunt & ſplendidæ fiunt, ſic quamdiu quis à tentationibus ſuis onuſtus & grauis incedit, in magna triſtitia, confuſione, angoribus viuit & melancholia

de inter. pret. Patrū

Nebulæ animi triſtes diſcutit.